



# PRIMA SECUNDÆ

*De Deo ut ultimo fine per actus nostros  
acquisibili.*

**P**ostquam Angelicus Doctor in primâ parte summæ Theologicæ Deum trinum & unum præcipuosque ejus effectus Angelum & hominem consideraverat, progreditur in hâc parte (secundam partem ob prolixitatem subdivisit Angelicus Doctor & hinc dicitur hæc pars prima secundæ) ad inquisitionem mediorum in communi, quibus ad eundem utpote ultimum, ad quem utraque Creatura intellectualis condita est, finem pervenitur, & quia contrariorum eadem est scientia, de vitiis & peccatis eisdem oppositis quoque tractat, cujus vestigiis inhærentes ante omnia alia ipsam finis ultimi rationem & quæ circa eundem formari solent quæstiones quâ poterimus brevitate & perspicuitate perpendemus, prius verò ut actuum, quibus ad finem ultimum tenditur, quos actus humanos appellare solent, natura intelligatur.

A

Nota

Quæstionum.  
ificationem requi-  
ationem & an sola  
709  
redat se justificari,  
icitur morus liberi  
712  
& charitatis &  
714  
XIX.  
717  
m sine gratiâ: 717  
e condigno requi-  
718  
possit de condigno  
723  
ita æterna debeat  
730  
732  
& primariò per  
Deum per chari-  
734  
teri primam gra-  
738  
primam gratiam.  
e congruo potest  
igno nec de con-  
n.  
antia finalis.  
dum se, sed ut ad  
to.  
741  
PRIMA



*Nota.* Ex actibus qui procedunt ab homine alii dicuntur hominis, alii humani, actus hominis sunt, qui quomodocunque procedunt ab homine, quales illæ quoque actiones sunt, quæ homini conveniunt secundum gradum genericum suntque homini communes cum brutis v.g. dormire, crescere, progredi &c. Actus humani propriè sunt, qui conveniunt homini in quantum est homo: *hoc est* in quantum est rationalis naturæ & gradu specifico excellit supra Creaturas irracionales.

Actus humani alii sunt humani quoad substantiam: hi videlicet, qui procedunt ab homine operante secundum gradum specificum & differentialem: ut ridere, flere, motus voluntatis primi & indeliberati. Alii sunt humani quoad modum illi scilicet: in quibus reperitur modus operandi naturæ rationali proprius, qui est operari cum deliberatione & cognitione finis sive illi actus sint voluntatis & tunc vocantur elicitivi sive aliarum potentiarum & tunc dicuntur imperati per ordinem scilicet ad principium actuum humanorum quod est voluntas per cognitionem regulata. Hoc notato sit.

## DISPUTATIO I.

*De ultimo fine.*

**S**uppono 1. Finis est: cuius gratia aliquid fit, hic causat in actu secundo per objectivam allicientiam, sive attractionem voluntatis ad sui prosecutionem de quo plura Philosophi in tract. de causis.

Suppono 2. Finis alius dicitur *cuius gratia* & est bonum illud, cuius adipiscendi gratia voluntas operatur, v.g. infirmus sumens amaras portiones ut sanitatem recuperet habet pro fine cuius gratia sanitatem. Alius *cui* & est illud subjectum in cuius commodum quæritur finis *cuius gratia*. v.g. in exemplo proposito ipse infirmus est finis